

# Paulus Episcopus Servus Servorum Dei

venerabili fratri **Francisco Xaverio Chen-Ping-Hsu**, adhuc Episcopo titulo Norrensi et Administratori Apostolico diocesis Sciamchiamensis, electo Episcopo eiusdem Ecclesiae, salutem et apostolicam benedictionem. Qui, arcano Dei consilio, universae christifidelium societati praepositi sumus, tota mente et industria tendimus ut, mittentes aptissimos Episcopos, sive Christi regnum apud eos, qui christiani nominis gloriam participant, in dies adolescat, sive iis, quibus nondum plene, clarius lux aeternae veritatis affulgeat. Quam obrem, cum cathedralis Ecclesia Sciamchiamensis, post translatum venerabilem fratrem Laurentium Bianchi ad sedem titulo Sorrensem, vacet ad praesens, censuimus Te, venerabilis frater, hisce sustinendis partibus aptum, qui egregius animi mentisque dotibus nitens necumque pastoralium usu praeditus, spem bonam faceres valde rei catholicae Te esse profuturum. De sententia igitur Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda fide deque suprema Nostra potestate, post auditum venerabilem fratrem Aloisium Accogli, Archiepiscopum titulo Trebanum et Apostolicum in Sinis Pro-Nuntium, vinculo Te solvimus Sedis titulo Norrensis et ad Cathedralis Ecclesiam **Sciamchiamensem** transferimus, dato regimine cum iuribus et obligationibus congruis. Quod attinet ad catholicae fidei professionem, lege ecclesiastica praescriptam, ab eadem interanda Te eximimus; ius vero iurandum fidelitatis erga Nos et Successores Nostros dabis, teste quovis Episcopo et ipso hanc Petri cathedram sincere colente; formulam autem iuxta quam iuraveris ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda fide cito mittes, de more signatam sigilloque impressam. Dilectos autem filios e cle-ro populoque diocesis Sciamchiamensis hortamus ut Te lactantes accipiant tuaque iussa prompto animo perficiant, quibus volumus ut hae litterae Nostrae publice in cathedrali templo legantur, cum primus dies festus de praeepto celebrandus ad venerit. Ceterum, venerabilis frater id Deum optimum maximum efflagitamus ut par tibi auxilium uberemque det gratiam, qua oves tuas provide nutrias et alias quae nondum sunt ex eius ovili, ad ipsum perducas. Datum Romae, apud S. Petrum, die undetragesimo mensis maii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto. =R=

Aloisius Card. Quaglia  
S.R.E. Cancellarius

Franciscus Ginello  
Apostolicus Cancellarius Regem

Josep Maria Colla, Secret. Apost.  
Eugenius Serr, Probr. Apost.

1969年5月29日教宗保祿六世任命徐誠斌主教為香港教區首任國籍主教之宗座詔書。